



**DEUS NOSTER**, hujus Universi secundum Democritum anima, Cœlo capi nequit, licet illud DEO plenum dicat *Hermes Trismegistus in Dialog: de Nat. Deor.* Et, quamvis concedamus *Aristoteli & Apulejo Libb. de Mundo*, totum illud, quod divinis corporibus onustum videmus, ignibus pulcherrimis & perlucidis Solis & Lunæ & reliquorum siderum, cum quibus fertur per orbem, dierum nō-

ctiumq; curriculis, agens stellarum choros intermino lapsu, Deorum Domum (*Θεῶν οἰκὴ ἡμεῶν Aristot.:*) vocari posse; hanc tamen Dominum in se circumsepire posse nulli concedemus. Γεγὼς ἢ μυθολογία esset, illum in Cœlum tantum compingere, qui omnium primus, ultimus, caput & medium est; qui non Cœlorum sola, sed & Terræ est Basis, & omnium, ut egregiè Orpheus apud *Aristot. Lib. de Mundo cap. ult.:*

Ζεὺς πρῶτος γένεο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος.

Ζεὺς κεφαλὴ. Ζεὺς μέσσα. Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ ἔραυθ' ἀσεργένιος. &c.

Frequentissimè quidem in Cœlis esse dicitur, quia illi totius Universi locus honoratissimus sunt, vid. ⊙ 6. Unde per Metonymiam ipsum DEUM Rabbini **שמי** vocant, ut refert *Mochingerus noster* **שמי** in *Discur. Philolog: de Nominibus DEI Ebraicis*, citans hanc in rem R. Kimchi Apophthegma pium in *Psalmod. Comm.* obvium: **כר מעשיך יהיו לשמי** *Omnes actiones tue sint in nomine Cœlorum*, i. e. DEI, in cujus Nomine & nos in nostro Themate pergimus.

⊙. 2. Machina hæc universa, si Cœlo Terram socias, confingisq; cum *Conimbricensibus, Fonscá, Cajetaño, Suárez, Molina, Hurtado, Arriagá, Becano apud Comptonum Disp. Phys. 33. Sect. 4. §. 2. Francisco de Oviedo Phys. Contr. 15. Punct. 3. Murcia Disp. 1. super 8. l. Phys. 9. 1. Didaco Masio Comm. in cap. post. lib. 8. Phys. 9. 4.* aliisque spatia extramundana quamplurima; hæc tamen omnia DEI Locus, quo circumcludatur, non omninò erunt, sed locata potius in illo, horum omnium Loco aut Sustentaculo; quâ de